INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCXCI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HENR. OSWALD**
DE GENUINO SPIRITALIS ANIMARUM CIBI EUCHARISTICI SENSU
COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1891.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De genuino Spiritalis animarum cibi eucharistici sensu commentatio.

Urgente hac praefandi in Indicem scholarum nostrarum obligatione visum est mihi, ex iis, quas jam ante annos fere triginta quinque de Eucharistia dissertationibus[1]) publici juris feci, eam, quae est de „Cibo eucharistico", paulo sane emendatam atque huic tempori[2]) et occasioni accommodatam, iterum in medium proferre: arbitratus istam quam designavi scriptionem meam justo plus latitasse neque satis theologorum attentionem obtinuisse. Nequaquam enim superfluum videtur, notionem *spiritalis animarum cibi,* quo nomine, praeeuntibus sacrosancto consilio Tridentino et, qui ex ejus decreto conscriptus est, Catechismo Romano, omnes Catholici s. Eucharistiam insignimus, veram et genuinam accuratius, pro virili parte enucleare, eo quod exploratum habeo, ex istius accuratione magnam partem pendere, quales de hoc sanctissimo Sacramento conceptus nutrire debeamus, simulque animadverti, circa istius coelestis alimenti naturam et efficaciam dubia exoriri posse et reapse exorta esse, quae dispellere omnino operae pretium puto. Ut autem dicenda in aliquot capita apte discernam, sit primum hoc:

---

[1]) Videsis libellum meum „Orationes academicae tres, quibus doctrinae de Eucharistia aliquot loci illustrantur", Paderbornae 1855. pag. 7. seqq. Confer etiam opus meum amplius: Sakramenten-Lehre. 4. Aufl. Münster S. 472 ff.

[2]) Libellus iste meus, quoniam a. 1855 in lucem prodiit, praecessit proscriptionem ecclesiasticam operum Dr. Antonii Guenther, auctoris ceterum celeberrimi, qui etiam laudabiliter judicio s. Sedis se subjecit. De ejus enim et asseclarum ipsius opinionibus praeprimis hic agitur.

I.

Hominis naturam duobus constare, corpore et animo,[3]) tritissimum est. Quo autem pacto ambo haec naturae humanae partes ut hominem constituant, cujus indolem in utriusque substantiae et corporalis et spiritalis conjunctione sitam esse apud omnes sanae mentis in confesso est, coalescant, non una fuit semper omnium sententia. Etenim quum veteres plerumque theologi et philosophi istud animum inter et corpus commercium ita intelligerent, ut corpus quidem humanum per sese exanimem et mortuam molem statuerent, quae deinceps ab animo spiritali informaretur, ita ut idem ipse animus seu spiritus corporis humani *anima* seu forma animans nuncupanda sit: extitere recentiores quidam, qui utrique hominis substantiae vitam atque vitae *ἐνεργείαν* peculiarem tribuerent, animum ab anima quoad vitae proprietatem reapse separantes, cujus quidem *animae* indolem nihil aliud dicerent quam ipsius corporis humani vim vitalem, ita ut, etsi corpus soluto ejus cum animo ligamine demortuum jaceret atque corrumperetur, tamen principium corporalis vitae non ex ipso animo spiritali, sed ex anima, quae dicitur sensitiva, tanquam ex fonte repetendum censerent, neutiquam ideo hominis naturam tripartitam inducentes (quae opinio dudum explosa fuit), sed potius animam humanam, ab animo (spiritu) toto coelo diversam, omnemque animalis vitae humanae rationem rerum corporearum ordini, quem *naturam* vocare solebant, attribuentes. Quo fit, ut recta consecutione animam inter et animum etiam quoad *substantiam* dignoscendum esse statuerent, omnemque illius ligaminis, quod inter animum et corpus humanum intercedit, vim in quadam utriusque humanae vitae, et superioris et inferioris, vicissitudine et mutua proprietatum communicatione collocarent.

Sed equidem ego causam hanc non eo consilio enarravi, ut adductis argumentis meum de ea judicium proferam, quippe quod jam solemniter sedis Apostolicae autoritate per fel. mem. Papam Pium nonum prolatum est a. 1857 in Brevi, quo Pontifex opera Antonii Guenther Indici libr. proh. inseri jussit, recentiorum hanc de animae et corporis humani relatione hisce verbis perstringens: „Noscimus iisdem libris negari catholicam doctrinam de homine, qui corpore et animo ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera et immediata corporis forma.“ Quare nemo vere Catholicus istam alteram, quam descripsimus, opinionem ultra jam tuebitur. Verum ea motus ratione discussionem hanc praemisi, ut ostendere volens, istam de partibus humanae naturae sententiam, sicut in aliis locis theologicis sat multis, ita etiam in nostro quod suscepimus argumento de eucharistico cibo rite intelligendo, etsi forte aliquam veri speciem prae se ferat, fuco suo veritatem et dignitatem Eucharistiae deminuere, ut, inquam, lectores qua de re hic agitur accurate et ad amussim perspiciant. Quid enim? Si ex mente conc. Tridentini cibus eucharisticus is est, qui spiritualiter (*πνευματικῶς*) i. e. modo quodam altiori postea determinando corpus nostrum sane vivum, non autem animum sive spiritum nutriat, s. Communionis usum et fructum praecipuum, proximum et (ut ita dicam) immediatum in vitam nostram animalem vel quod jam idem erit, corporalem duntaxat salubriter redundare; atque omnem quam animus noster ex Eucharistia habeat, utilitatem inde per ambages repetendam esse. Sin minus, ipsam naturam nostram spiritalem coelesti ista dape nutriri i. e. conservari augeri delectari confitendum erit. Sed quoniam ipsa nostrae disputationis viscera jam attigimus, accuratiori theologorum methodo rem in aprico collocare studeamus.

---

[3]) Hoc non valde usitato pro designanda superiori naturae humanae parte vocabulo utor hic et multis aliis commentationis locis ad evitandum dubium, quum adversarii animae vocem sensu a consueto remoto usurpare soleant. Per se patet, me animi vocabulo animam *spiritalem* i. e. rationalem et intellectivam intelligere.

II.

Inter eos qui recentiori illi opininioni de partium humanae natura distributione adstipulabantur, exorti sunt,[4]) qui revera cibum eucharisticum eo modo intelligendum arbitrabantur, *animae* cujus Eucharistia sit nutrimentum notionem ad hanc vitam inferiorem quam spiritali oppositam corporalem sive animalem dixeris, quam tamen ipsi naturalem seu physicam nominare amabant, *unice* restringendam censerent, in hunc fere modum disputantes.

Toto homine per protoparentum praevaricationem paradisiacam secundum animam et corpus in deterius mutato, hujus corruptionis contagione naturam quoque exteriorem sive rerum adspectabilium complexum (quam Conc. Later. IV creaturam mundanam nominat) una cum humano corpore, quicum inseparabili nexu jungitur, infectum esse. Quum vero per Christi redemptoris merita in ecclesia Dei omnia quae primaevo lapsui aut malo culpae aut malo poenae irretiuntur, restauranda et redintegranda sint, sacra illa signa sive symbola, quibus ex Christi institutione virtus illa salutifera ad sospitandam *omnem* creaturam adnexa est quaeque usitato nomine *Sacramenta* vocamus, haec igitur Sacramenta utramque creaturam spiritalem et corporalem, et in uno homine utramque ejus naturae partem, superiorem et inferiorem *duplici ordine* afficere et permeare debere; atque quum omnium consensu cetera sacramenta, exclusa Eucharistia, Baptismus praeprimis et, quae sequuntur alia in albo Sacramentorum, reparando animo destinata, salutarem gratiam stricte sic dictam i. e. gratiam *sanctificantem*, quae e directo non nisi spiritum (animum) nostrum tangit, mentem illuminando, voluntatem excitando et corroborando una cum auxiliis gratiae digna suscipientibus conferunt, eam esse *eucharistiae* vim, ut ad restituendam, purgandam, elevandam vitam nostram corporalem sit ordinata; itaque praecipuum ejus fructum in eo reponendum esse, ut carnem nostram libidine corruptam indies renovet, fomitem concupiscentiae paullatim extinguat, prava desideria consopiat corpusque nostrum sensim ad eum conditionis apicem evehat, quem in gloriosa post mortem resurrectione futuram Apostolus Paulus (1. Cor. 15) describit; ipsum autem hominis animum in s. synaxi non quidem tanti beneficii *omnino* esse expertem, ut qui ob arctam cum corpore unionem corporis sensa ipse persentiscat, atque sedato ardore libidinum, „quae militant adversus animam (animum)" 1 Petr. 2. 11, facilius ad altiora consurgere possit, nihilominus ipsam eucharistiae gratiam *sacramentalem* recta via animum et spiritalem ejus naturam per sese, sicut in reliquis sacramentis fit, non attingere. Quam ob causam Eucharistiam merito, ajebant, peculiari modo *τοῦ θεανθρώπου* Christi sacramentum vocari sicuti cetera sacramenta Spiritui sancto, qui spiritalis gratiae est auctor vel potius dispensator, adscribantur; hocque solo titulo inter baptismum praeprimis (nam in reliquis sacramentis gratia baptismalis vel redditur vel augetur) et eucharistiam rotunde et dilucide discrimen statui posse affirmabant. Quae vero in Tridentina synodo de s. communionis fructibus habentur (Sess. 12 cap. 2) *„sumi hoc sacramentum qui spiritalis animarum cibus sit, tanquam antidoton quo liberamur a culpis quotidianis, et a mortalibus praeservemur, pignus praeterea esse futurae nostrae gloriae ac symbolum nostrae cum Christo unionis* — ea non solum cum sua opinione reconciliari posse, sed intento velut digito hanc cibi eucharistici notionem innuere. Ita fere illi, quorum ex mente cibi eucharistici effectus non circa ipsum *animum*, spiritus sancti gratia ornandum, sed circa *animam*, videlicet ut illi volunt, circa animalem corporis vitam splendore aliquo spiritali illustrandam et elevandam versatur, ita ut, dum cetera sacramenta recte *πνευματικά* (*ἀπὸ τοῦ πνεύματος*) dixeris,

---

[4]) Unum nominare possum, Emmanuelem Veith in opere quod inscribitur „Eucharistia". Plures ejusdem scholae Guentherianae asseclas in hac causa assentiri quum nullus dubitem plurali numero usus sum.

s. eucharistia sacramentum ψυχικόν (ἀπὸ τῆς ψύχῆς), vel, quod isti praeferunt, (naturae) sit appellandum. — Quodsi quis, cui haec opinio fortasse mira et inaudita videatur, quaesierit, quibus eam argumentis demum fulcire conentur: primum quidem, *animae* cibum eucharisticum, ajunt, vocari in documentis fidei non semel vel bis, ut velut obiter ita nominari putaveris, sed semper; nunquam permutato nomine *animi* pabulum. Deinde addunt, de animo nisi valde improprie et figurato loquendi modo dici non posse, ipsum *cibari*, nutriri, vesci; cibum igitur, qualis eucharisticus describitur, nisi corporis esse non posse. Quae si levia et parvi momenti esse videri possent, pondus argumenti in eo demum collocant, ut, praescribentes hanc regulam cuiusvis sacramenti effectum ex ipsius institutionis veritate pendere, ut inquam inde pro eucharistia hoc illud efficiant. Ex ipsorum verborum, quibus Eucharistia consecretur (*hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*) atque institutionis Dominicae in S. Coena peractae veritate sub sacramenti speciebus tantummodo *carnem et sanguinem* Christi contineri, cetera, quae adesse in sanctissimo sacramento sane confitentur, Domini scilicet animum et divinam ejus substantiam, accedere quidem per concomitantiam (quod dicunt), veruntamen non tam ex ipsius sacramenti natura, quam propter gloriosum existendi modum, quo Christus in Eucharistia praesens sistitur, ultro necessaria consecutione adjungi; ideoque, si sacramenti eucharistici vera et recta notio eruenda sit, solum Domini corpus in censum venire posse et debere; consentaneum vero denique esse, ut sacrum corpus Domini in corpus nostrum vires exserat suas, corporis autem Domini et animi nostri prorsus dissimiles esse rationem legem naturam, neque intelligi posse, quo pacto corpus, etsi Dominicum, ex sese spiritum nostrum afficere et penetrare possit. — Ita fere isti argumentantur.[5])

III.

Satis ostendisse mihi videor, quid sibi velint theologi cum sua de eucharistici cibi notione, et jam ad formandum de ea judicium accedo. Illud igitur minime negamus, hunc quem exposuimus de s. Eucharistia intellectum aliquam speciem prae se ferre, multaque hoc jacto fundamento de saluberrimis hujus Sacramenti effectibus disputari posse, quae nemo Catholicus aspernetur; attamen quoniam cibum eucharisticum ita sumunt exponendum, ut omnis ejus in animum seu animam rationalem et spiritalem directa et immediata vis negetur, non possum quin data opera eum reprobandam censeam. Imprimis quae argumenta suae causae allegant, ea mihi facili negotio, dilui posse videntur.

Quod enim cibus eucharisticus animarum non animorum in regulis fidei saepius nominatur, tantum abest ut pro adversariis faciat, ut eorum opinioni obstare omnino mihi videatur. Etenim quum animae nomen, per se positum, ad naturae humanae partem inferiorem veteri psychologorum usu loquendi non liceat (supra pag. 6), magisterii autem ecclesiastici definitiones ex usu vocabulorum tunc temporis obvio explicari debere constet, quis tam perfrictae frontis est, ut nomen illud e principiis philosophiae, quae longe post inolevit, exponendum esse contendat praepostere? Anima igitur, quae per eucharistiam cibatur, in mente Patrum Trident. nihil aliud significare potest quam ipsum animum ratione imbutum seu substantiam hominis spiritalem, quoniam Theologi usque ad concilium Trident. animam, nisi forte aliud attributum (utputa sensitivam) adderetur, semper rationalem spiritum intellexerunt. Insuper patet totam concilii de Eucharistia doctrinam de eucharistia legenti, concilii Patres de anima tanquam spiritui quoad substantiam opposita ideoque inferiore hominis parte ne cogitasse quidem. — Quod autem de nutritionis proprietate addunt, non majoris ponderis esse arbitror. Verum quidem est, animum i. e. spiritum proprio loquendi genere vesci non posse. Sed quid inde? Animarum

---

[5]) Vide opus supra citatum „Eucharistia" pag. 375 seqq.

quippe cibum locutionem translatam esse ob similitudinem quandam, quae inter vitam corporalem et spiritalem obtinet, id libenter concedimus, neque tamen in litterarum sono ita haerendum credimus, ut idcirco ejus sensus plenus et dilucidus impugnetur. S. synaxim eodem modo nutrimentum statuimus, quo v. gr. de gratia baptismali omnes confitemur, per eam homines in vitam aeternam *regenerari*. Sane de homine quidem si totam ejus naturam spectes proprio verbi sensu dici potest, eum generari, etsi de animo per se sumpto jam constet, eum non generari sed creari potius,[6]) ast secundum naturalem vocabuli sensum neque totus homo neque animus (anima) *re*generari i. e. denuo nasci potest. Ergo in designandis baptismatis effectis regenerationis vox propter similitudinem quandam ad altiorem significatum naturae spiritali accommodatum, quod saepissime in eloquio humano fit, transfertur. Animam antem *cibari* juxta hanc translationis regulam nihil aliud sibi vult quam, sicuti cum Pont. Eugenio IV (in decr. ad Armenos) omnes fere hucusque theologi explicuerunt: omnem nimirum effectum, quem materialis cibus et potus in vitam agunt corporalem sustentando reparando delectando, sacramentum hoc nostrum operari quoad vitam spiritalem. — Restat, ut, in quo firmissimum suae causae praesidium habere adversarii arbitrantur, videamus, possitne hoc eam reddere victricem. Qua in re cum iis jam consentimus, sedulo institutionis Eucharistiae verba attendenda esse, ut ipsius vis et indoles dignoscatur, probeque itidem distinguendum esse inter ea, quae ex ipsorum verborum vi et quae per concomitantiam, ut dicitur, sub s. Speciebus adesse fide credimus; verum multum, imo plurimum valere ratione *sacrificii* incruenti Eucharistiae, de quo nobis non est sermo, fatemur, sed nihil valere ratione *sacramenti* Communionis, de quo uno nobis controversia est, contendimus idque non subtili quadam ratione theologica, sed ipso dogmate catholico adstruere conabimur. Lex igitur illa ecclesiastica, qua ut sub *una* tantum panis specie laici et clerici non conficientes (sacrificium) s. eucharistiam sumant praescribitur, eo doctrinae capite nititur, sub alterutra specie manducantibus verum et integrum sacramentum cum omnibus gratiis sacramentalibus ad salutem necessariis exhiberi. Quodsi igitur unicae speciei sumptione sacramentum neutiquam vel irritum vel mutilum redditur, consequens erit, id quod veram et propriam sacramenti rationem, quam veteres theologi formalem dixerunt, habet, sub alterutra specie aeque ac sub utraque contineri. Atqui evidens est, ex *vi verborum* sub utraque specie plus — et corpus et sanguinem — quam sub alterutra — vel corpus vel sanguinem — adesse. Ergo falsum est, institutionis (consecrationis) vocabula quoad usum sacramenti unice in sensum venire, et naturalem eorum consecutionem, qua etiam anima et divinitas Christi sistuntur, in ea negligendam esse. Patet etiam, si ex solis institutionis verbis cibi eucharistici natura esset dijudicanda, sub panis specie, qua sola jam plerique Christifideles vescuntur, tantum corpus sanguine destitutum (nam Joh. 6 in verbis promissionis loco corporis habes „Carnem") exhiberi; corpus autem sine sanguine vel exsangue i. e. mortuum, quid prodesse posset? Si cui autem haec subtiliora videantur, audiat ipsam synodum Trid. (Sess. 21 cap. 2), quae legem istam, cuius mentionem fecimus, hoc doctrinae capite fulcit, quod fatendum sit: *„etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi"*. Quodsi totum atque integrum, habes igitur corpus completum (cum sanguine) una cum anima atque divinitate Christi. Ergo certo certius est, utpote fide probatum, in s. Communione nequaquam verbis institutionis subsistendum esse, sed etiam quae ultro accedunt Christi partes ad describendam ejus virtutem accersendas esse. Neve ex mente adversariorum dixeris: reliquas Christi partes in sacramento quidem accedere minime negamus, sed eas ad constituendam s. synaxeos notionem facere diffitemur. Nam profecto si ita esset, mutilum imo nullum ut redderetur sacramentum sub sola panis

---

[6]) Vide libellum nostrum: Die Schöpfungslehre. Paderborn 1885. S. 216 ff.

specie sumptum foret necesse, quum praeter corpus *exsangue* sub hac sola specie nihil manducari posset, videlicet *sacramentaliter*, etsi reliqua *aliter* vel alio modo adessent; corpus autem exsangue nullo pacto *sacramentum* constituere potest. Si autem concesseris, in unaqualibet specie corpus Christi integrum i. e. carnem cum Sanguine conjunctam manducari sacramentaliter i. e. ad effectum sacramenti consequendum, manet utique illatio: utrique, corpori et sanguini, semper animam Christi atque ejus divinam substantiam adjungi etiam *sacramentaliter* sive ad finem sacramenti consequendum Unde iterum conficitur, ex solis verbis institutionis cibi eucharistici notionem dijudicari non debere. Ultimum igitur istius sententiae propugnaculum, dogmatis ariete dirutum collabitur.

IV.

Quoniam autem non sufficit, tela hostis confregisse, nisi etiam tuis ipsius armis vulnus letiferum ei infligas, jam rationes quae istam opinionem jugulare mihi videntur, quam potest fieri breviter enarrabo. Mitto igitur, quae ipse Dominus Jesus (Joh. cap. 6 vv. 40, 54, 51) de fructu hujus sacramenti praedicet, hoc coelesti Manna refectum *„vitam aeternam in se habere, propter Christum vivere et in eo manere, sicut Christus in illo“* — quis quaeso talia et his similia ad vitam animalem audeat restringere? Mitto luculentissima s. Patrum testimonia, quibus toti in eo sunt, ut coelestis convivii ejusque, quae per ipsum efficitur nostrae cum Christo unionis et communionis, qua ad divinam plane consortium sublevamur, mirabiles effectus, mire celebrent. Mitto theologorum qui a scholastico docendi genere nuncupantur ipso Angelico Doctore duce agmen frequentissimum, qui omnes unanimi consensu coeleste hoc eucharistiae alimentum circa *animam*, ipsorum quod per se patet sensu intelligendam, i. e. circa spiritalem hominis naturam praeprimis versari, in eamque omnium gratiarum quasi cumulum quo gratia baptismalis ad summum usque apicem augeatur infundere, non solum censuerunt, sed data opera et instituta comparatione inter dapes corporales et spiritales explicuerunt, quae vero inde in inferiorem naturae humanae partem redundent commoda, appendicis loco recensentes — haec omnia missa facio. Illud unum urgeo: supposito adversariorum de cibo euch. intellectu patet Eucharistiam ceteris sacramentis ne aequiparari quidem nedum praeferri posse; imo si lectoris aures id ferre possent, eam e sacramentorum veri nominis catalogo expungi debere. Sacramentum enim, in quo omnes conspirant, signum gratiae sanctificantis efficax est; gratia autem nisi circa animum praeprimis ejusque facultates occupari non potest; quae praeterea sive ex corporis conditione vel ex rerum externarum natura animo adsciscuntur vitae altioris adminicula, adjumenta sanctitatis audire possunt, non sanctitatis ipsius gratia, nam naturae divinae consortium, ad quod per gratiam evehimur, animi esse non corporis, luce meridiana est clarius. Quae quum ita sint, quis quaeso sibi talem de eucharistia notionem fingere praesumat, ex qua consequens sit, eam e sacramentorum veri nominis albo eliminari debere, praesertim postquam Trid. synodus ejus super reliqua sacramenta excellentiam multis titulis praedicavit, Catechismus vero Rom. expressis verbis omnium gratiarum, quae ceteris sacramentis continentur fontem eam ac finem vocavit, *fontem* quia ex eucharistia velut a quadam scaturigine omnis ceterorum sacramentorum salutaris vis profluat, finem, quia reliqua sacramenta sua indole ad eucharistiae gratiam, velut ad metam et apicem suum collineent, sive ut cum s. Thoma loquamur, ordinentur.

Quae omnia dum attenta mente mecum recolligo, non possum, quin isti sententiae temeritatis, imo falsitatis notam inurendam esse arbitrer.

V.

Veruntamen aliena diruere non est sua aedificare, atque aut parum aut nihil te profecisse existima, si falsa redargueris, nisi redarguendo veritati novam aliquam lucem affundis. Solet etiam

plerumque errori, dummodo mentis est non omnino obnubilatae, subesse aliqua pars veritatis, quam si rite erueris atque ad cognitionis tum sortem addideris, majorem te quaestum fecisse autuma, quam si opinionibus aliorum mere refellendis diu multumque desudaveris. Quod et in causa nostra locum habet. Auctores enim, qui sententiam a nobis explosam tuentur, mihi persuasum est non tam in eo errare quod adstrunt, quam quod negant, quin imo illud quoque libenter concesserim, veteres theologos in describenda eucharistiae vi recensendisque ejus effectibus non semper accurate versari, omnia quidem magnifico dicendi genere cumulare, non tamen singula sat distincte ponere, atque in eo praeprimis deficere, quod s. synaxeos effecta, quae corporalem vitam tangunt, ad eorum originis principium non satis distincte revocare soleant. Itaque meo judicio utriusqne sententia et veteris et recentioris (ut ita per compendium loquar) conjunctio quasi quaedam instituenda erit, ut plena et suis numeris absoluta notio habeatur. Hoc illud est, quod innuo.

Quum fide constet, per peccatum a protoparentibus in paradiso commissum non solum hominis animum sive spiritum verum etiam corpus et, quicum corpus humanum inseparabili nexu jungitur, rerum externarum universitatem, quam *naturae* nomine haud raro insignimus, in deterius versam esse: utraque creatura, et spiritalis in homine (ut de Angelis hoc loco sileamus) sita et corporalis tam in homine quam in rerum natura constituta, *utraque*, inquam, remedio Redemptoris indiget. Christi autem domini opus salutiferum utrique restituendae creaturae adaptatum fuisse, quis inficiabitur, quum omnis creatura, quae in coelis et quae in terra, in Christo dicente Apostolo (Ephes. cap. 1. 10 *ἀνακεφαλαιοῦσθαι*), instauretur vel potius recapituletur? Ex quo efficitur, ut in restituendo mundo divinis consiliis sapienter disponentibus omnino consentaneum appareat, *duplicem* in Novo Foedere sanandae rerum omnium universitati paratam esse medicinam, duplicem inquam ac bipartitam, alteram expiando et sanando animo, alteram redintegrando et, quod dicitur, clarificando rerum corporearum ordini (humano corpore incluso) destinatam. Sed ut missas faciens res externas ad hominem solum et unum animadvertam per Redemptoris merita salvandum, manet tamen consecutio, quoniam ipse et corpus habet et idcirco rerum etiam corporearum ordinis etiam quoad animum particeps est, manet inquam consecutio, duplicem ac bipartitam in Ecclesia, quae opus Christi persequitur, sacrorum, quibus homo sanetur et in pristinum integritatis et sanctitatis statum restituatur, quasi seriem quandam esse exspectandam, i. e. duo sacrorum genera, quorum alterum conferat gratiam veri nominis i. e. spiritalem sanctitatis animi, alterum creaturae corporali tam intra quam extra hominem sitae remedium praestet, quod gratiam vel physicam vel corporalem (per me licet) dixeris. Illud solum cave, ne quod uni sacrorum speciei adscribas, alteri *omnino* deneges. Patet enim, pleraque quae animum afficiant in corpus, et quae corpus in animum propter intimam conditionis vicissitudinem redundare debere; ita ut *peculiaris* institutio, quae ex professo fit, in hac distributione remediorum utriusque ordinis unice sit attendenda. — Quo posito fundamento jam vide, quo argumentum deducam. Tale enim sacrorum duplex genus in ecclesiae thesauris mihi videor deprehendisse. Alter est ordo Sacramentorum, quae proprie sic vocantur (Eucharistiam, de qua controvertitur, ab initio excipimus) gratiam animae spiritali spiritalem infundentium, de quorum natura jam dubium esse non potest. Alter autem eorum sacrorum est, quae *Sacramentalia* (quasi inferioris generis „sacramenta“ dixeris) vulgo vocantur. Haec enim sacramentalia, quo nomine multa alia, velut sacros ritus et caeremonias, comprehendi, me non fugit, si tamen adaequate loqui velimus, solum rerum visibilium *exorcismos* qui dicuntur et *benedictiones* in ecclesia fieri solitas intelligimus, redintegrandae creaturae corporali per peccatum depravatae instituta esse, nemo opinor negabit. Etenim elementa plerumque physica humano usui qualicunque modo destinata in iis sacrantur i. e. tam pestifera contagionis pollutione et maledicto liberantur (exorcizantur), tam salubri virtute imbuuntur (benedicuntur), ut homini iis utenti

non obsint sed prosint potius. — Haec de sacramentalium natura delibasse sufficiat, ut, quo loco ea haberi velim, dignoscatur.

In sacra nempe ecclesiae suppellectile duplex rerum ordo, duplici hominis substantiae omnino congruus habetur, alter sacramenta *gratiae*, alter sacramenta *naturae* (jam intelliget lector, quid hac voce velim) complectens. Sed ut jam ad nostram controversiam post ambages revertar, haec, si quid ego video, s. communionis peculiaris indoles et praestantia est, ut non solum *utrique ordini* adscribi debeat, sed et in utroque ordine primum locum obtineat, ita quidem ut utriusque ordinis et summum fastigium et communem quasi compagem constituat; unde merito dici possit, Eucharistiam totius aedificii (systematis) et fundamentum et apicem esse. Longum foret, si omnes rationes, quibus duplicem hanc s. communionis vim atque virtutem explanare et comprobare possem, vellem enumerare. Summa quaedam argumentationis puncta, attigisse sufficiat. Ac primum igitur eucharistiam esse sacramentum *naturae* sensu mox exposito, non quidem *praecipue*, multo minus *unice* (qui adversariorum est error), sed tamen *directa* operandi vi, jam inde ostenditur, quod in s. Coena corpus Domini verum manducandum exhibetur idque sacramentaliter i. e. ita ut *corpus* ad sacramenti rationem intimam pertineat. Corpus autem verum et proprium, dum manducatur in corpus itidem manducantis agere vimque suam exercere debere, prorsus extra controversiam positum est. — Dein vero, dum in ceteris naturae sacramentis (seu sacramentalibus) elementa physica sacrantur, idem sane et in eucharistia evenit, qua nutritionis physicae elementa, panis et vinum, consecrantur, et quidem ita ut in eucharistia meta, ad quam omnis rerum corporearum sacratio in ecclesia dirigitur, scilicet ad naturae substantiam lumine miro gloriosae conditionis illustrandam vel ut vulgo dicitur *glorificandam* reapse attingatur, dum corpus Christi verum quidem ast *gloriosum*, cessante substantia panis et vini rudi et ingloria, in ea praesens sistitur. Quae igitur in ceteris sacramentalibus inchoatur consecratio substantiae physicae, ea in eucharistia usque ad *transsubstantiationem* perficitur, ita ut utrobique gradu quidem infinite dispar, genere autem omnino compar unius in alterum conversio et translatio habeatur. Sacramentorum autem ceterorum, velut baptismi, dissimilem esse legem, nemo ambigit. — In qua eucharistiae cum sacramentis disparitate, cum sacramentalibus similitudine etiam hoc in censum venit, quod quum sacramentalia, quamvis hominum utilitati destinata, tamen ita extra hominum usum posita sint, ut unumquodque eorum suo modo res sacra permaneat, etiamsi illo non utaris, velut aqua benedicta, Eucharistia in hoc mire cum iis conspirat, ut quae corpus Domini praesens exhibeat, nemine manducante (quae Eucharistiae qualitas ejus *permanentia* vocatur); sacramentorum autem diversam esse legem, ut quae omnino non sint, nisi ab homine suscipiantur, etiam tironibus nostrae displinae notissimum est. — Tandem res nostra etsi fortasse alio nomine, nunquam non apud theologos in confesso fuit. Etenim ab initiis fidei Christianae, in quibus unum s. Martyrem Ignatium Antioch. nomino, traditum est, s. synaxim plurimum valere ad sedandum *carnis* libidinum saevientium ardorem, eandemque *carnis* nostrae gloriosae resurrectionis quoddam pignus existere. Videsis duo haec semper a magistris fructibus s. communionis adscribi solita, praecipue circa hominis vitam corporalem versari. Illud unum fuit desiderandum, quod veteres magistri saepe ejusmodi virtutem oriundam et derivandam generaliter potius statuerunt ex gratia sacramentali eucharistiae, quam ut ad originem in ejus ipsissima indole sitam discrete revocarent. — Habet igitur lector, quatenus opinioni adversariorum accedere impune possimus, videlicet in quantum eucharistia tamquam naturae sacramentum spectatur. Sed in hoc minime subsistendum est.

Quod enim ad alteram, ut ita dicam, efficacitatis Eucharistiae partem attinet, ab adversariis negatam, in quo prorsus vapulant, esse nimium Eucharistiam etiam veri nominis sacramentum, utpote gratiae stricte sic dictae causam effectricem, id a me supra (pag. 6 seqq.) satis demonstratum esse confido; atque id unum, ut in hac causa disputandi aequalitas non omnino tollatur, adjicere placet,

sacramentalem hanc eucharisticae communionis vim ita definiendam esse, ut dicas: omnium gratiarum, quae in ceteris sacramentis singillatim et per partes conferuntur, varietatem hoc uno cunctim et conjunctim copiose et abundanter exhiberi, ita ut divinae naturae consortium (2. Petri cap. 1. 4) per cetera sacramenta inchoatum in s. Eucharistia ad eum perfectionis gradum perducatur, quam terrena hominis conditio utcunque permittat: id quod uberius exponere non hujus loci est.

VI.

Quodsi tandem a me poposcerit lector, qui fieri possit, ut *duplex* diversi generis efficacitas *uni* cibo eucharistico inhaereat, sciat, saepenumero in rebus dogmaticis satis esse, *rem* si exposueris, rei *modum* in medio relinquens. Attamen quod mihi in hoc argumento verisimillimum videtur, breviter proponam. Quidquid Christus Dominus, ut id proloquar, ad salutem generis humani in diebus carnis suae contulit, id constat ex *humana* ipsius natura, semper tamen divinae hypostatice unita, profectum esse. Idem igitur dicendum de praesentia Christi mystica, in sacramento Eucharistiae, utpote pridie quam pateretur instituto. Quoniam autem supra (pag. 7) ostensum fuit, totum et integrum Christum in s. communione *sacramentaliter* exhiberi, jam quoad sacramenti eucharistiae efficaciam dupliciter ita distinguendum arbitror, ut statuam, adesse ad finem sacramenti operandum *tam corpus Christi quam animam*, quibus hominis natura constituitur, et quidem utramque divinitati hypostatice unitam. In tali demum bipartita distinctione totus atque integer Christus quoad sacramenti usum absolvitur. Dum igitur totus atque integer Christus in s. synaxi toti atque integro homini ad instar cibi jungitur, id per partes ita enumerandum erit, ut dicas, corpus Christi corpus nostrum, animam vero Christi animam nostram ineffabili sane virtute pertransire. Itaque rem, de qua agitur, ita enucleandam censemus, ut dicamus: in Eucharistia dum *anima* Christi humana divinitate unita animam nostram omni gratiarum et donorum spiritualium genere ornet et ditet, pari modo *corpus* Christi, et ipsum divinitati unitum ideoque gloriosissimum, eodem actu simul corpus nostrum permeare, sordes per peccatum contractas paulatim expurgando, mortalitatis et concupiscentiae labem sensim exurendo, carnis denique nostrae caducam miseramque conditionem in gloriosissimi sui corporis formam indies magis magisque transmutando. — Tali modo duplicem duplicis efficaciae in uno eodemque Eucharistiae sacramento causam efficientem et quidem omnino adaequatam eruisse nobis videmur. Unde illud quoque patescere arbitror, id quod in Eucharistiae sacramento signi mere externi (ut τεχνικῶς loquar) rationem habeat, quodque, ut hoc exemplo utar, in baptismi sacramento ablutioni per aquam materiali aequiparari possit, tantummodo in *speciebus* panis et vini eorumque esu mere physico sitam esse. Dum igitur in reliquis sacramentis signo exteriori unum et simplex virtutis supranaturalis genus (veluti baptismo regenerationis gratia) subesse cognoscitur, in s. communione duplex et diversum genus efficacitatis continetur, scilicet manducatio *corporis Christi* corporalis quidem sed tamen spirituali (sacramentali) modo intelligenda, simulque animae Christi per animam nostram in similitudinem cibi susceptio. Utraque efficaciae pars ad cibi eucharistici veram plenamque notionem necessario facit; ita ut si alterutram quamlibet sustuleris, coeleste hoc alimentum dimidio quasi fructuum suorum, si quid ego video, defraudes.

Quodsi tandem, quae per partes enunciata sunt, in unum colligere velis, haec vera et suis titulis absoluta cibi eucharistici indoles est, ut per ipsam utriusque hominis substantiae cum Christo homine et, mediante natura ejus humana, cum ipsa divina natura intima conjunctio atque adeo consortio instituatur. Praemisso hoc duplicis qualitatis fundamento singulos s. communionis in duplici genere effectus dilucide et fundatissime enarrare, facillimum negotium foret, si ad munus, quod scriptione hac nostra suscepimus, pertinere censeremus. Haec igitur hactenus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Reliquam partem Evangelii sec. Johannem et s. Pauli epistolam ad Galatas interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. Introductionem generalem in sacras Veteris et Novi Testamenti libros dabit bis per hebd. hora II.
III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. De Redemptione et Sanctificatione generis humani lapsi tractabit quater vel quinquies per hebd. hora X.
II. Repetitiones dogmaticas instituet examinandi et disputandi causa semel per hebd. hora X.
III. Praemissa introductione selectos Psalmos interpretabitur bis terve per hebd. horis des.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX.
II. Jus canonicum tradet bis per hebd. hora IX.
III. De arte ecclesiastica disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem generalem explicabit quinquies per hebd. hora XI.
II. Selecta capita doctrinae ethicae christianae, disputando et repetendo illustrabit semel per hebd.
III. Patrum antiquissimorum vitas et scripta enarrabit hora def.

Dr. Antonius Kranich.

I. Primam partem Apologetices docebit bis per hebd. hora VII.
II. Hymnologiam semel vel bis per hebd. tradet hora IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. a. Decanus.

I. Historiae medii aevi partes praecipuas tradet ter per hebd. hora XI.
II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, enarrabit bis per hebd. hora XI.
III. De linguae theodiscae cum aliis linguis cognatione, aut de historia poësis christianae apud Germanos cultae disseret semel vel bis per hebd. hora XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Inscriptiones graecas et latinas ter.
II. Tertulliani apologeticum item ter hebdomade hora IX interpretabitur et de utroque genere cum commilitonibus latine disseret.

Dr. Wilhelmus Killing, P. P. O.

I. Principia chemiae tradet ter hebd. hor. VII.
II. Selecta physices capita explicabit bis hebd. hora VIII.
III. De geometria — non — euclidea leget bis hebdomade hora VII.
IV. Calculum differentialem et integralem docebit hor. deff.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Exercitationes paedagogicas moderabitur bis per hebd. horis def.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

I. Ex stipendio Regio:
De motivis humanarum actionum tam naturalibus quam supranaturalibus disputetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano:
Ritus baptizandi parvulos qui nunc viget ex primaevae ecclesiae institutione catechumenorum ac disciplina illustretur.

De priore quaestione Ordini, quod dolendum est, nulla commentatio, de posteriore una tantum tradita est his verbis insignita: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. (Eph. 4, 5.)

Quam commentationem etsi propter impolitam parumque latinam dictionem multa deprehenduntur obscura intellectuque difficilia, Ordo non indignam judicavit esse praemio, cum auctor laudabili cura ac diligentia et judicio plerumque sano rem tractaverit atque absolverit.

Reclusa charta innotuit:

Julius Weichsel, stud. theol.

Ordo philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

Kantius et Raimundus a Sabunde esse Deum ex honesti principiis repetentes quomodo inter se differant.

Subjecta est Ordini una commentatio, hisce verbis insignita:

„Ganz leise spricht ein Gott in unsrer Brust,
ganz leise, ganz vernehmlich.“ Goethe, Tasso III, 2.

Scriptor quid inter illorum philosophorum rationes intersit, quanquam singillatim non satis explicavit, summatim tamen recte indicavit; congesta apte disposuit sermone polito usus. Quapropter Ordo eum praemio constituto dignum esse censuit.

Rescissa schedula prodiit nomen:

Carolus Fieberg, stud. phil.

In annum currentem commilitonibus hae quaestiones proponuntur:

Ordo Theologorum commilitonibus pro certamine literario in annum currentem has proponit quaestiones:

I. Ex instituto Regio: Enarretur vita Samuelis prophetae et ex historia illius temporis illustretur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De s. Hieronymo vitae monasticae patrono ac defensore.

Ordo Philosophorum in annum currentem Commilitonibus de praemio regio certantibus hanc proponit quaestionem:

Ea psalmorum loca, quae de rerum natura agunt, breviter exponantur.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante Diem Nativitatis Domini anni currentis rectori Lycei tradendae sunt.